



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CV. Die Markgrafen Otto und Konrad schenken dem Domcapitel in Brandenburg einen Weinberg, am 26. Mai 1282.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CV. Die Markgrafen Otto und Konrad schenken dem Domcapitel in Brandenburg einen Weinberg, am 26. Mai 1282.

— Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses, — vineam illam, quam a nobis possederant pheodali tytulo Wolraven et Rucher, filii quondam Gherardi militis, dicti Golcop, ob salutem et remedium animarum progenitorum nostrorum et peccaminum nostrorum obtulimus ecclesie beatorum apostolorum Petri et Pauli in urbe Brandeburch et beati Marie virginis proprietatis tytulo perpetuis temporibus possidendam. Ut autem hec nostra etc. testibus ydoneis, quorum nomina sunt hec: Theodericus de Osterborch, dapifer curie, Johannes de Nawen, pincerna curie, Johannes de Stegeliz, Henricus de Wardenberch, Wernerus advocatus in Ratenowe, Heino de Bönen et quam plures alii fide digni. Actum et datum in merica Ratenowe, anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXII. VII. Kal. Junii.

Nach dem Originale.

CVI. Der Bischof Gebhard verkauft dem Domcapitel in Brandenburg das Dorf Schmerzke, einen dabei liegenden See und die Hälfte eines Sees in Riez, am 9. Sept. 1284.

Cum rerum gestarum certissima representatio sit scriptura, que de verborum serie redactorum in ipsam neque minuit neque mutat, nos Gevehardus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, recognoscimus et tenore presentium in omnem volumus notitiam pervenire, omnibus ipsarum auditoris continentiam seu visuris, quod nos villam nostram in Smercik et stagnum adjacens et medietatem stagni in Rethiz domino preposito et capitulo nostre Brandenburgensis ecclesie vendidimus et contulimus libere absolute cum advocatia, proprietate, juribus omnibus et pertinentiis suis ad dictum prepositum capitulum et nostram Brandenburgensem ecclesiam perpetuo pertinenda. Idem etiam dominus prepositus et capitulum memoratum pro quolibet frusto, quod eisdem dimissimus liberum et solutum in predictis videlicet villa Smercik stagno adjacente et medietate stagni in Rethiz decem marchas Brandenburgensis argenti nobis integraliter perfolverunt. Hujus vero rei testes sunt dominus Albertus de Alvensleve, canonicus ecclesie sancti Nicholai Magdeburgensis, Sifridus plebanus in Lubus, magister Johannes plebanus nove civitatis Brandenburg, Dengerus et Johannes capellani dicti magistri Johannis, Johannes de Monekeberg, Reynekinus de Tremme, laici, cives Brandenburgenses et quam plures alii clerici et laici fide digni. Ne autem alicui super hujusmodi nostra venditione et collatione dubietatis serupulus oriatur, presentem litteram de nostra certa scientia nostro sigillo fecimus roborari. Datum Brandenburg, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXIII<sup>o</sup>., in crastino nativitatis beate virginis.

Nach dem Originale.